



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. De Schismaticis, & eorum pœnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO III.

De schismaticis, & eorum
pœnis.

Quando schismatici hæretici sunt, vt regulariter contingit, eadē pœnas habent quas hæretici, potest tamen aliquis esse schismaticus, quin sit hæreticus: Est enim schisma disunctio, qua quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Hæc autem disunctio fieri potest, vel separando se à capite, & ab aliis membris, vel separando se à solis membris, vel etiam à solo capite. Difficile est, vt quis se à membris solis per schisma separat, & non à capite; non est tamen impossibile, nam sede vacante posset aliquis per schisma se subtrahere à reliquo Ecclesiæ corpore, & nolle ei obedire in iis, in quibus tunc obedire tenetur, nec cum eo coniungi ad actiones Ecclesiæ communes. Contra hos, qui se separant à corpore Ecclesiæ, non tamen à capite, non habere locum pœnas schismaticorum, docet Hurtado *disput. 168. de charitate sessione prima §. 4.* quia id crimen vix potest contingere, nec oportuit pœnis coerceri: id tamen bene explicat postea *sess. 3. §. 14.* vt solum verum sit quando expressè retinent vñionem cum capite, alioquin enim tacitè, & implicite videtur recedere à Pontifice, cui cetera membra connectuntur, & cui in omnibus consentiunt: quod mihi etiam non displicet, quia sicut, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; ita quæ vñiuntur vni tertio sunt adhuc vñi inter se saltem mediatè: sicut etiam è contra, propter eandem rationem non potest aliquis separare se à capite, quin tacitè se separet à reliquo corpore, quod capiti manet vñitum.

Notant autem Doctores communiter. Primò hanc separationem debere esse cum rebellionē erga Pontificem in spiritalibus, & prout exercet potestatem Pontificiam: quare non sufficit nolle obedire in aliquo speciali præcepto v.g. circa ieiunium, vel confessionem annuam: neque enim est rebellis in Principem, qui aliquam eius legem violat, sed qui excutit iugum, & non vult illi subiici: Secundò neque esse schismaticum, qui Pontifici non obedit vt principi temporali, nec exhibet illi subiectionem in ciuitate domipij temporis Pontificij. Erit quidem ille rebellis, non tamen schismaticus, quia non negat Pontifici subiectionem debitam vt Pontifici. Tertio neque erit schismaticus, qui negat Pontifici subiectionem, quia probabiliter dubitat de eius electione legitima, vel de eius potestate: videatur Sanchez, qui alios congerit *libr. 2. in Decalog. capit. 36. numero tertio, & quarto, & Castro Palao primo tomo tractatu sexto, disputatione quarta, puncto quinto.* Quarto. Neque esse strictè schismaticum in ordinē ad pœnas Schismaticis incurrendas, qui separat se à proprio Episcopo, eique obedientiam negat: quia hic manere adhuc

culpe suspectus vehementer de hæresi. Affirmare videntur Repertor, inquisit. Zanchinus, & alij apud Dianam *quarta parte tractatu octauo de officio & potestate inquisitorum resolutione nonagesima tertia.* Ipse tamen cum aliis id negat dummodo id non fiat in provinciis Catholicorum, in quibus, si quis eiusmodi conuenticulis occultis affuisset, & ea non denunciaret inquisitoribus, fieret vehementer suspectus de hæresi, & abiurare deberet, nisi cum ignorantia excusaret, vel alia circumstantia, aut personæ qualitas concurreret. Pro qua sententia affert Suarium *disputatione vigesima quarta de fide sessio 3. numer. 3.* Ego huic sententiæ assentior, sed locum illum Suarij nec ibi, nec in sectione 3. præcedentis disputationis inuenire potui.

Restat dicere de iis, qui exterius negarunt fidem, quam tamen mente, & corde firmiter retinuerunt, atque ideo non sunt hæretici, nec hæreticorum pœnis ligantur. De quibus, quod attinet ad forum iudiciale qualiter torquendi, & puniendi sunt, tractant Doctores, quos circa hoc punctum accuratè congerit Diana *dicta parte quarta tract. septimo de pœnis delictorum, &c. resolutione tertia* vbi totam praxim huius delicti puniendi proponit. Nunc solum agimus de foro interno, in quo Apostatas, & hæreticos merè externos, qui fidem fidei negarunt exterius esse irregulares, docet Sanchez *dicto libro secundo capite vigesimo quinto numero sexto* Suarez Maiolus, & Viardus, apud Sanchez ibi, quibus adde Sanctarellum, & Facinacium, quos affert, & sequitur Diana *quarta parte tractatu secundo de irregularitate resolut. 49.*

Alij tamen dicunt hos non esse irregulares, nisi irregularitate orta ex infamia ob notorietatem criminis notorii: ita Nauarrus, & Azor apud Sanchez *ibi numer. quinto* quod Azor intelligit siue sponte, siue metu coacti id fecerint: eandem sententiam probabilem reputat Filiucius *tom. primo tract. vigesimo cap. nono, numero centesimo trigesimo* & Diana *dicta resolutione quadragesima nona* vbi affert etiam Bonacinam indicantem huius sententiæ probabilitatem. Et quidem, si de hæreticis occultis probabile est non incurtere propriam irregularitatem, idem dicendum erit à fortiori de his, quando crimen est occultum. Quando verò est notorium, ad minus incurrun-
t aliquam suspicionem, & inhabilitatem, vt promoueantur vltèrius, & rursus, ne sine dispensatione Episcopi possint in susceptis ministrare, imò nec ex Episcopi dispensatione in ordine sacerdotali, quod ad minus videtur haberi ex cap. *Presbyteros*, distinctione quinquagesima, vt facit Filiucius *vbi supra num. ducentesimo trigesimo primo.* Qualiter verò in foro externo recipiantur, & puniantur hi Apostata, vel hæretici externi ficti, & qualem suspensionem contrahant, videri potest Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 7. punct. 1. in fine.*

hæc potest conuictus reliquo Ecclesiæ corpori, & summo Pontifici. Quinto, Schismaticum esse eum, qui effectū, & opere separat se à Pontifice, licet id directe non intendat: sicut potest esse rebellis in Principem sine illa voluntate directa, propter etiam potest esse homicida, detractor, & alia similia peccata committere, cum sola voluntate indirecta. Vnde licet ad hæresim requiratur dissensus etiam internus, schisma tamen potest esse, sine expressa voluntate interna negandi subiectionem Pontifici: sufficiunt enim opera ipsa, quibus ita tegetis, ac si eam negares: sic sunt propriè schismatici, qui alium Pseudo-Pontificem eligunt, vel qui sine consensu veri Pontificis Concilium generale celebrant, vel profequuntur, quia in hoc arrogant sibi Pontificiam potestatem.

Prima schismaticorum pena, excommunicatio ipsa facta.

His breuiter suppositis dicendum est de schismaticorum penis, quæ variè assignari solent. Prima est excommunicatio ipso facto, de qua licet attento iure communi dubitari posset; attempta tamen Bulla Cœnæ, non potest esse dudum, cum ibi in prima clausula expressè excommunicantur omnes Schismatici, & qui à summi Pontificis pro tempore existentis obedientia se pertinaciter subtrahunt, vel recedunt; quæ verba vltima non sunt addita, ut aliqui volunt ad comprehendendos omnes, qui Pontifici etiam non ut Pontifici obedientiam negant, sed vel ad exprimendam magis huius criminis qualitatem, ut cum aliis vult Sanchez *dicto capite trigesimo sexto, numero duodecimo*, vel ut alij volunt, ad intelligendos nomine Schismaticorum eos, qui alium Pseudopontificem eligunt, qui per antonomasiam Schismatici dicuntur, & in posterioribus verbis exprimendos eos etiam, qui sine alterius Pontificis electione separant se ab obedientia veri Pontificis; vel fortasse etiam, (quæ mea suspicio est) ad indicandos subdolos aliquos, qui malitiam velare conantur dicentes, se non negare obedientiam Sedi Apostolicæ, sed huic personæ, ob peculiaris rationes; postea tamen eius successori obedientiam præstituros. Ideo expressè excommunicantur non solum Schismatici, sed nominatim, qui huic personæ obedientiam negant additis illis verbis: *qui se à nostra, & cuiusvis Pontificis pro tempore existentis obedientia subtrahunt*.

38

Hæc excommunicatione ligantur, ut diximus, etiam, qui hæretici non sunt. Vnde Angli Catholici, qui exterius solum obedientiam Regi in spiritualibus exhibent, quasi Ecclesiæ Anglicanæ capiti, licet non incurrant excommunicationem ob hæresim, incurrunt eam, ut Schismatici. A qua tamen potest absolvi, licet non possit ab hæresi, qui habent Bullam Cruciatæ concedentem alios casus Bullæ Cœnæ excepta hæresi, semel in vita, & semel in morte. Nec hanc censuram incurrunt fautores Schismaticorum non hæreticorum, quia in Bulla Cœnæ solum extenditur ad fautores hæreticorum, ut cum Suario notat Sanchez ubi supra num. 16. Hi tamen fautores incurrunt aliam excommunicationem non reservatam ex Bulla Pauli IV. quæ incipit. *Cum ex Apostolatus officio*, quæ est decima nona eiusdem in primo como Bullarj communis, ut notatur Castro Palao ubi supra puncto sexto, numero octavo, & Bonacina *disputatione tertia, qua-*

sione quarta de charitate, puncto primo; sed non aduerterunt, ibi non agi de omnibus Schismaticis, sed de Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, Cardinalibus, Legatis, Comitibus, Baronibus, Marchionibus, Ducibus, Regibus, & Imperatoribus schismaticis, & eorum fautoribus. Deinde ibi, requiritur, ut ij Schismatici deprehensi fuerint, vel confessi, aut conuicti in schismatis crimine. Quare nihil etiam dicam de aliis penis ibi contra Schismaticos additis, quia, ut dixi, non sunt vniuersales contra omnes.

Secunda pena est amissio potestatis Ordinis, & Iurisdictionis, quæ colligitur ex capite primo de Schismaticis: capite *Nonatiano* legitur, quæstione prima, capite *dictissimo*, & capite *audiuimus*, vigesima quarta, quæstione prima. Quod tamen quoad potestatem Ordinis non est ita intelligendum, ut actus à Schismaticis facti non sint validi, ad quos solus character desideratur: sed ut ordinati, v. gr. ab iis, non habeant vltimū Ordinis accepti, quoad executionem, donec cum iis dispensetur. Quoad potestatem vero iurisdictionis facilius possunt inuoluari quæ ab iis fieri tentantur. Dubitatur tamen, an id intelligatur etiam de Schismaticis occultis. Aliqui enim id affirmant, quibus consentit Castro Palao *dicto puncto sexto, numero tertio*, licet postea addat, ut huiusmodi priuatio iurisdictionis effectum habeat, requirit sententiam saltem declaratoriam criminis. Alij dicunt, occultum non priuari, sed solum manifestum etiam ante sententiam. Alij dicunt nullum priuari nisi sit denunciatus. Quoad hoc tamen non magis est agnauanda hæc pena in Schismatico, quam in hæretico, de quo, quomodo, & in quo sensu possit validè exercere actus iurisdictionis, diximus *disputatione vigesima tertia, sessione quarta in fine*.

Tertia pena assignari solet irregularitas, quam multi dicunt incurrī à Schismatico; ita Azor, Penna, & alij, quos refert Sanchez *dicto capite trigesimo sexto, numero vigesimo*. Sed communis iam sententia dicit hanc penam non esse factam in iure fundatam, & ad omnia decreta, quibus probari solet, respondet Suarez de *Censuris* *disputatione quadragesima tertia, sessione secunda, numero septimo*, Sanchez *dicto numero vigesimo*, & ideo hanc sententiam sequuntur vltra alios Castro Palao *dicto puncto sexto, numero decimo sexto*, Bonacina, & alij, quos affert, & sequitur Diana *parte quarta tractatu septimo de penis dilect. &c. resolutione decima nona*, & alij recentiores communiter: qui tamen bene aduertunt, quando crimen est notorium, notorietate facti, contrahi irregularitatem generalem ex infamia, quæ cessante infamia cessare potest, iuxta generales regulas, quæ de illa irregularitate traduntur.

Quarta pena schismaticorum est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in posterum acceptanda, ex capite *quia diligentia*, de electis Suarez, Azor; & alij quos affert, & sequitur Sanchez ubi supra *numero decimo octavo, de iuribus*, quibus consentit Hurtado loco supra citato, de charitate *sessione tertia*, qui intelligunt ite, ut daret hæc inhabilitas etiam peracta penitentia de schismate, & post reconciliationem, & absolutionem. Addunt tamen, si crimen sit occultum,

occultum, posse Episcopum dispensare in foro conscientie ex facultate illi in Tridentino concessa. Alij tamen probabile existimant, cessante crimine, & sequuta poenitentia, & reconciliatione, quos affert Castro Palao dicto puncto sexto, numero undecimo, & saltem quando delictum est occultum, probabile id putat idem Castro palao ibi numero duodecimo. Ego idem dicendum puto quoad hanc inhabilitatem de Schismatico, quod de hæretico diximus supra disputatione vigesima tertia, sectione quarta, neque enim magis inhabilis reddendus est Schismaticus purus, quam hæreticus, vide ibi dicta.

42 Quinta poena est priuatio ipso facto beneficiorum antea acquisitorum, quam esse Schismatico statutum dicunt Rebuffus, & Flaminus apud Sanchez ubi supra, numero decimo nono. Hanc tamen poenam in iure non esse fundatam dicunt merito, & ad decreta contraria respondent Sanchez ibi, & Castro Palao ubi supra, numero decimo quinto ubi alios affert, quibus consentit Hurtado ubi supra dicta sectione tertia, §. 13.

Sexta poena, suspenditur qui à Schismaticis ordinatur. Sexta poena est, ut qui scienter à Schismatico Ordinem recipit, suspensus maneat ab eo Ordine ex capite primo, & secundo de Schismaticis: capite ordinationes nono, quaestione prima de qua poena videri possunt Suarez dicta disputatione vigesima tertia de Censuris, sectione tertia, numero quarto, Sanchez dicto capite trigesimo sexto, numero vigesimo, Bonacina, & Farinacius, quos affert Castro Palao dicto puncto sexto, numero decimo septimo.

Septima, ir- ruitur collatio beneficiorum à Schismaticis. Septima poena est, ut collatio beneficiorum à Schismatico facta irritetur ex capite primo de Schismaticis. De qua poena ultra alios, quos affert videri potest Castro Palao ubi supra numero decimo octauo, qui bene cum aliis notat, probabile esse, quod ad has duas poenas requiratur Schismaticum esse notorium, & per sententiam declaratum, & quod Ordines seu beneficia à Schismatico scienter recipiantur.

43 Octava poena est, quod Schismatici sint suspecti de hæresi, & de ea debeant abiurare, quam suspicionem esse vehementem tradit cum aliis Castro Palao ubi supra, numero decimo nono. A quo tamen dissentit Diana tractatu septimo, resolutione vigesima nona, qui cum aliis, quos affert, dicit solum esse suspectos, & abiurare debere de leui, quamuis pro temporis diuturnitate, quo in schismate perseverarunt possint aliquando suspicionem vehementem incurere, & debeant de vehemente abiurare. Mihi tamen regulariter placet prima sententia, quia suspicio grauis, & vehemens ex supradictis est, quæ in eo crimine fundatur, ex quo frequenter hæresis colligitur, licet aliquando non colligatur. Frequenter autem, imò ferè semper Schismaticus est hæreticus, & errat circa potestatem summi Pontificis, ergo regulariter schisma ingerit vehementem hæresis suspicionem. Hæc tamen poena spectat ad forum externum sicut & alia, quibus grauioribus, vel leuioribus, pro criminis qualitate puniri debent, aliquando etiam tradendo eos Curia seculari, si sint pertinaces: de quibus videri potest Facinacius, & alij, quos citat Castro Palao ubi supra numero vigesimo. Formam verò abiurationis, qua debent

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

abiurare non solum hæresis suspicionem, sed etiam schisma, desumptam ex capite quodammodo primo, quaestione septima, vide apud Sanctarellum tractatu de hæresi capite 43. dubio primo num. 16.

SECTIO IV.

De filiis, & nepotibus hæreticorum, & eorum pœnis.

HI etiam, licet non participant in crimine, participant tamen in aliquibus hæreticorum pœnis, & numerantur inter personas ad hæreticos spectantes. Quo autem iure filij innocentes puniri possint ob delictum alienum, disputat Hurtado in præfata disputatione 88. sectione prima. Et fatendum est, eos non posse in vita, vel membris puniri, nec alia corporali poena affici. Quod colligitur ex Deuteronomio capite vigesimo quarto, Non occidentur filij pro parentibus, nec pater pro filiis: sicut neque etiam vxor propter crimen mariti, vel è contra, quamuis sint duo in carne vna. Regula ergo generalis est, quæ traditur Ezechiel. 18. Hic non morietur in iniquitate Patris sui. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris. Vnde Suarez in præfata disputatione vigesima quarta sectione tertia, numero secundo, dicit, id excedere potestatem iudicis, & legislatoris humani: Potest quidem Deus, qui Dominus est nostræ vitæ, & potest pro libito eam tollere, occidere filios ob delictum patris, propterea de facto mori fecit filium, quem Dauid ex adulterio genuerat secundo Regum duodecimo, & hoc propter patris delictum, ut constat ex illis verbis: Verumtamen quia fecisti blasphemare inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur: & omnes filij, & filia Achaz lapidati sunt Iosue septimo, ut ex textu colligit Abulenlis ibi quaestione septuagesima secunda, & secundo Regum capite vigesimo primo crucifixi sunt quinque ex posteris Saul, ad placandos Gabonitas ob scelus patris. Homo tamen eam potestatem non habet, ut vitam innocentis auferat, propter delictum alienum, & idem est de aliis pœnis corporalibus, quia vitæ, & corporis dominium non est penes Rempublicam, sed penes solum Deum.

Obiici potest ex lege quisquis, Codice ad legem Iuliam Maiestatem, ubi reus læsæ Maiestatis humanæ morte damnatur, & de eius filiis subditur: Filij verò eius, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarij criminis exempla metuentur) à materna, vel auita, omnium etiam proximorum hereditate, ac successione, habeantur alieni, &c. Quæ etiam lex refertur in capite si quis, sexto, quaestione prima, & quod plus est, laudari videtur, vel approbari ab Innocentio tertio in capite Vergentis de hæreticis, ubi Pontifex excusat confiscationem ibi præceptam ob crimen hæresis, licet filiorum inopia consequatur, quia nimirum legitimis legibus, ob crimen læsæ Maiestatis humanæ filij omni successione priuantur, relicta illis vita solummodo ex misericordia. Supponi ergo videtur,

N Nn quod